



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

4. Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

illud corpus, quod nunc habet; & in triduo mortis Christi, si poterat consecrari, deberet utique poni illud corpus, cum quo mortuus fuerat, quia de illo, & non de alio, erat verum dicere, *hoc est corpus Christi*, hæc enim verba significant corpus illud, quod nunc habet, vel quod ultimum habuit, cum vixit, ut constat ex communi modo loquendi hominum. Cum ergo vnio hypostatica debeatur animæ & corpori, quod simpliciter est corpus illius animæ; debuit hæc vnio manere in eo corpore mortuo, quod & non aliud, erat corpus illius humanitatis, & cui corpori debebatur resurrectio gloriosa. Quod idem argumentum fieri potest de sanguine, de quo est eadem ratio, cum sit pars illius humanitatis, cui toti debebatur resurrectio gloriosa.

48

Ensisio.

Dices, ad retinendum illud ius ad gloriam, sufficeret, quod vnio hypostatica remaneret in anima separata; sicut enim gratia habitualis residens in sola anima separata dat ius ad gloriam animæ, & corporis, in quo hæc remanet gratia, nec aliquid supernaturale; cui vnio hypostatica solius animæ daret ius ad gloriam animæ, & corporis.

Præcluditur.

Respondeo, esse discrimen quoad hoc, inter gratiam habitualem, & vnionem hypostaticam: nam gratia etiam quando homo vivit, est in sola anima, cui dat ius ad gloriam ipsius animæ, & corporis; at vero vnio hypostatica ante mortem Christi non erat in sola anima, sed in corpore etiam immediate, & tota illa vnio fundabat illud ius plenum: nam ratione utriusque vnionis dicebatur ille homo simpliciter filius naturalis Dei, & Deus: quod fortasse non diceretur, si Verbum vnitum fuisset soli animæ, & corpus retineret propriam subsistentiam creatam; nam tunc non subsisteret tota natura humana in Verbo, nec posset dici Deus homo, nec etiam homo Deus. Unde honor ille, qui debetur humanitati, ex eo quod tota subsistat in Verbo, & tota sit natura Dei, & titulus specialis, qui ex hoc capite oritur ad gloriam illius naturæ, non radicatur in sola vnione animæ cum Verbo; posset enim anima sola vniri cum Verbo, quo casu non esset ille titulus specialis ad beatitudinem, & honorem specialem resultans ex vnione totius humanitatis. Hic ergo titulus, & hoc ius speciale proveniens ex vnione Verbi cum vtraque parte non conseruaretur sufficienter, si in triduo mortis maneret vnio Verbi cum sola anima: unde retorqueri potest argumentum gratia habitualis: nam sicut gratia debet conseruari in anima, ut semper conseruetur ille titulus intrinsecus ad gloriam: sic vnio Verbi cum corpore, quæ est pars tituli intrinseci, quæ habet humanitas Christi ad gloriam, debet conseruari; neque enim iste titulus adequatè conseruaretur manente sola vnione Verbi cum anima: cum maior certè titulus sit vnio Verbi cum tota humanitate ad honorandam, & glorificandam illam humanitatem, quàm esset sola vnio cum anima ad honorandam, & glorificandam totam humanitatem.

49

Arguitur pro gratia habituali.

Hinc denique constat iam ad difficultatem propositam contra rationem illam S. Thomæ. Nam habitus, vel qualitates supernaturales, si quæ dantur in corpore hominis grati, pereunt in morte, quia illæ omnes sunt passionibus consequentes ex gratia habituali, nec possunt ab illa separari: manet autem in gratia totus titulus ad illas recuperandas in resurrectione corporis, cum maneat ipsa gratia habitualis, quæ est vnica radix, & titulus

dans ius ad illas. At vero vnio Verbi cum corpore non est passio orta ex vnione animæ cum Verbo, sed est pars vnionis integræ Verbi cum tota humanitate, & per consequens pars tituli radicalis ad ea, quæ debentur humanitati propter vnionem cum Verbo. Nec obstat, quod dici solet, Verbum assumpsisse corpus mediante animæ: hoc enim non significat, vnionem cum corpore oriri ex vnione cum anima, tanquam passionem consequentem, sed significat potius vnionem cum corpore fuisse medium volitum propter vnionem cum anima, hoc est, Deum voluisse vnionem cum tota humanitate, eo quod in ea esset anima rationalis, non voliturus vnionem cum tali natura, si esset rationis expertis. Denique cur aliæ partes materiæ, quas continet amittebat Christus, non debuerint retinere gratiam vnionis, constat ex dictis, quia nimirum non pertinebant iam ad eam humanitatem, cui acquisitum erat ius ad gloriam, cum humanitas illa haberet iam corpus constans ex aliis partibus materiæ, cui debebatur illa gloria, ut corpori talis humanitatis.

De censura sententiæ contrariæ, & an fuerit condemnata à Clemente sexto? dicemus postea. Nunc respondeamus ad argumenta, quæ pro ipsa possunt afferri.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem.

Primo obicit potest Augustinus epist. 146. ad Cosentium, ubi interrogatus, an corpus Domini nunc ossa, & sanguinem habeat? Respondit, carnem, & ossa habere, ut constat ex Christi verbis: *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. De sanguine autem nihil dixit; quare videtur illum negare. P. Suarez 2. tom. in 3. part. disp. 47. sect. 3. in principio, adducit illum locum Augustini, ad probandum, esse de fide, quod Christus nunc habeat sanguinem, eo quod Augustinus dixerit, *Fides adst, & nulla questio remanebit*.

Sed certè ex illo Augustini loco id non potest colligi, nam ipse solum probat ex illis Christi verbis, carnem, & ossa esse in eius corpore, quia tale est nunc corpus Christi, quale erat cum ascendit in cælum, quod probat ex verbis Angelorum ad discipulos: *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Et statim subiungit, *Fides adst, & nulla questio remanebit*. Ut autem ostenderet, se non loqui de sanguine in illa fidei definitione, addit statim, *Nisi forte de sanguine requirendum est, quia cum dixisset: Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet: non addidit sanguinem*. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere. Et de compendio, si placet, finita sit questio: Fortassis enim accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior persequatur, & dicet, si sanguis, cur non & pituita? cur non & fel flauum, & fel nigrum? &c. Ex quibus verbis aperte constat, Augustinum noluisse agitare questionem de sanguine, multò minus eam de fide definire. Cæterum, licet noluerit ex professo id definire, insinuat tamen satis suum sensum, quod scilicet sit sanguis in Christo. Nam statim explicat, quomodo expositione sanguinis, & aliorum humorum in Christo, non sequatur eius corpus esse corruptioni expositum. Explicat

Explicat item verba illi Apostoli 1. Cor. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, quod non de carne, & sanguine, sed de corruptione carnis, & sanguinis intelligi debeant. Cæterum totum hoc argumentum non est pro sententia illa, quam nunc impugnamus, nam eius Auctores fatentur, nunc in Christo esse verè sanguinem; quod quidem constat ex consecratione Eucharistiæ, in qua Christi sanguis ponitur, & ex Tridentino supra adducto declarante, has partes post resurrectionem Christi ita esse coniunctas, vt non possit corpus sine sanguine in hoc Sacramento poni. Quæstio autem absurdè diceretur, ergo non habuit tempore illo vnionem hypostaticam cum Verbo. Hoc argumentum instari potest contra aduersarios, qui concedunt, sanguinem intra corpus vnitum fuisse Verbo diuino, ergo tunc posset per communicationem idiomatum dici, Verbum discurre per venas, esse alimentum membrorum, generari in hepate, & similia: quæ si ipsi cõcellerint, concedi etiam poterit, Verbum fuisse effusum, adhæsisse clauis, spinis, &c. Si verò negent, eadem ratione negandæ erunt propositiones, quas opponunt.

Secundò obijciunt, (& est præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ) quia si sanguis manit vnitus hypostaticè Verbo, potuisset per communicationem idiomatum Verbum dici effusum super terram, adhæres cruci, clauis, spinis, &c. quæ tamen absurdè dicerentur, ergo non habuit tempore illo vnionem hypostaticam cum Verbo. Hoc argumentum instari potest contra aduersarios, qui concedunt, sanguinem intra corpus vnitum fuisse Verbo diuino, ergo tunc posset per communicationem idiomatum dici, Verbum discurre per venas, esse alimentum membrorum, generari in hepate, & similia: quæ si ipsi cõcellerint, concedi etiam poterit, Verbum fuisse effusum, adhæsisse clauis, spinis, &c. Si verò negent, eadem ratione negandæ erunt propositiones, quas opponunt.

Ad argumentum ergo in primis aliqui concedunt, in sano sensu prædicata illa concedi posse de Verbo propter communicationem idiomatum; licet propter decentiam ab aliquibus debeamus abstinere, quæ aliquam videntur asferre indecentiam. Alij communiter respondent, negando sequelam, quia sanguis est pars humanitatis; communicatio autem idiomatum non est inter Verbum, & partem, neque enim dicitur, Verbum esse materia, vel anima, pes manus, &c. licet his omnibus sit hypostaticè vnitum. Similiter non dicitur sanguis, nec effusus propter eandem rationem. Quæ solutio facilior, & verior est.

Sed contra ipsam vrgeri potest, quia licet anima sit pars humanitatis, adhuc ratione vnionis cum anima separata dicitur, Verbum descendisse ad inferos: sicut ratione vnionis cū carne dicitur iacuisse sepultum in sepulchro, licet caro sit etiam pars; ergo ratione eiusdem vnionis potuisset dici effusum licet sanguis sit pars humanitatis.

Respondetur, negando consequentiam, quia licet vnio faciat, quod aliqua prædicata partium possint tribui Verbo, non tamen facit, quod omnia possint. Regula ergo vniuersalis hæc est, quod illa prædicata partium, quæ tribui solent homini simpliciter, & absolute, dici etiam possint de Verbo, non verò ea, quæ de homine non dicuntur. Ratio autem est, quia vnio facit, quod Verbum dicatur homo; atque adeo, quæ dicuntur de homine, dicuntur etiam de Verbo. Cū ergo de homine dicatur, sepultum esse, redactum in cineres ratione corporis, sicut ratione animæ dicitur homo esse in cælo, vel in inferno; hoc ipsum potuit dici de Verbo propter eandem rationem, sic enim dicimus, vt notauit Augustinus citato loco,

S. Petrum esse in cælo, S. Petrum esse sepultum Romæ; quia corpus est Romæ, & anima est in cælo; ergo similiter potuit dici, illum hominem Christum esse in sepulchro, & descendisse ad inferos. Quæ autem prædicata sint, quæ ratione partium possunt tribui toti homini, & quæ non possunt, pendet magna ex parte ex vsu loquendi hominum. Possumus tamen duas regulas assignare. Prima sit, prædicata illa, quæ significant & explicant officium, aut munus partis, vt pars est, non dici communiter de homine. Non enim dicimus, homo informat, homo componit totum, homo separatur à corpore, licet hæc omnia dicantur de anima hominis, quia nimirum significant, & explicant officium, & munus partis; quæ tamen sicut pars non prædicatur de toto, sic nec officium explicatum partis prædicatur de toto; quia hoc esset indicare, quod homo sit pars hominis. Dicimus ergo, hominem sepeliri, hominem esse in cælo, vel in purgatorio, quia hæc prædicata non explicant distinctionem partis à toto, atque ideo sicut actiones partis tribuuntur toti, & dicimus, aquam calefacere, quia calefacit calor illius; sic & passionem partis tribui solent toti, nec enim per hoc dicimus, totum esse partem sui ipsius: non tamen dicimus communiter, hominem separari à corpore, quando anima separatur, quia separari est proprium partis, vt pars est; quare sicut non potest dici homo distingui adæquatè à corpore sicut condistinguitur anima; sic nec potest dici separari, nam quod separatur adæquatè ab alio, condistinguitur adæquatè ab illo. Sic etiam Verbum diuinum dicitur sepeliri, descendere ad inferos, &c. non verò dicitur informare corpus, separari à corpore, & alia eiusmodi, quæ dicuntur de anima, vt exercet officium partis. Et propter hanc rationem fortasse non diceretur, Verbum effundi, quando sanguis effunditur, quia effusio videtur esse separatio sanguinis à corpore. Et sicut non dicitur homo effundi effuso sanguine, qui erat eius pars; sic nec dicitur, Verbum effundi. Hæc tamen ratio fortasse sola non sufficeret, quia de corpore mortuo dicitur, quod in sepulchro est homo iam sine anima, & ratione animæ dicitur S. Petrus liber à vinculis, & mole corporis ascendisse in cælum: quæ prædicata videntur inuoluere separationem ab alia comparte, & licet non propriè, dicuntur tamen aliquando de homine; & eodem modo posset dici Verbum iacuisse in sepulchro sine anima, & descendisse ad inferos sine corpore, cur ergo non diceretur ratione sanguinis iacuisse effusum sine anima, & carne?

Oportet ergo adiungere aliam secundam regulam, quæ vniuersalis est, & aptior ad rem nostram, scilicet, quod homines non loquuntur de parte aliqua, perinde ac si esset totum, nisi illa sit pars principalis. Nam licet ratione corporis dicamus, hic iacere Petrum; si tamen hic esset sola manus, vel pes, imò caput Petri, non diceremus hic iacere Petrum, sed partem Petri. Hinc est, quod licet sanguis sit pars hominis, quando tamen homo occiditur, & corpus iacet in lecto, sanguis verò totus in vase aliquo, dicimus hominem iacere in lecto, non verò in vase, vbi est sanguis, quia nimirum sanguis est pars exigua. Dicitur quidem homo esse in cælo, ratione animæ, quæ est pars principalior; dicitur etiam esse

54
Regula citata
prædicata, quæ
ratione par-
tium tribui
possunt toti
homini, &
qua verbo.
Regula pri-
ma.

55
Regula secun-
da.

in sepulchro ratione corporis quoddam licet non sit pars nobilior, est tamen pars magis nota sensibus, & quæ secundum speciem externam magis representat hominem; non tamen dicitur homo esse ubi est sanguis, vel manus, aut pes illius, quia sunt partes minus nobiles, & quæ secundum speciem externam non representant hominem. Hinc ergo constat, cur non dicatur Verbum effusum effuso sanguine Christi, quia scilicet nec dicitur homo effusus effuso sanguine, de Verbo autem per communicationem idiomatum ea sola dici debent, quæ dicerentur de homine illo.

Effugium.

Dices, sanguis separatus à corpore iam non est pars, sed est quoddam compositum physicum totale constans ex materia, & forma sanguinis; ergo Verbum illi unitum debet habere communicationem idiomatum perfectam cum sanguine, sicut prius habebat cum homine.

56

Euertitur.

Respondeo, si sanguis effusus habeat eandem formam substantialem, quam prius habebat in corpore, illa certe est forma partialis ex se sicut antea erat, & per consequens non poterit constituitur compositum totale, sed partiale. Si verò dicas, sanguinem extra corpus amittere formam priorem, & acquirere formam aliam quasi cadauericam; hæc etiam erit forma partialis, quia sicut ex manu mortua, & pede mortuo, & aliis partibus integratur totum cadauer humanum, atque adeo manus etiam mortua, non est, ens totale, sed pars illius totius: sic ex carne mortua, & sanguine etiam mortuo integratur cadauer integrum humanum, seu totum corpus mortuum; quare sicut Verbum non prædicatur de pede mortuo, quia est pars Christi mortui; sic nec de sanguine propter eandem rationem.

57

*Solutur argumentum
Cardinalis
S. Petri.*

Hinc soluitur facile argumentum simile Cardinalis S. Petri in dicto tractatu, quod scilicet mancam esset, & imperfectum Symbolum Apostolorum, in quo sicut propter unionem Verbi cum corpore profiteamur, Dei Filium esse sepultum, & propter unionem Verbi cum anima profiteamur Filium Dei descendisse ad inferos; sic propter unionem Verbi cum sanguine effuso deberemus aliqua dogmata attinentia ad hanc unionem confiteri, videlicet Filium Dei iacuisse sparsum, cruci adherentem, spinis, clavis, in quibus omnibus mansit sanguis. Ad hoc ex dictis facile respondetur, non omnia quæ conueniunt Filio Dei ratione unionis, debuisse enumerari in Symbolo, sed præcipua, maxime cum effusio sanguinis contineatur in articulo crucifixionis, crucifixus enim sanguinem debet effundere. Nec oportebat addere Filium Dei fuisse effusum, sparsum, &c. tum quia hæc loquutiones non sunt veræ, ut vidimus, tum etiam quia ille articulus neque erat utilis ad comprobendam veritatem mortis Christi, sicut eius sepultura; nec ad beneficium speciale declarandum, sicut descensus ad inferos; quare si ille adderetur, deberent addi in Symbolo innumera alia veritates, quæ merito sunt omittæ; cum solum intenderetur tradi Symbolum continens præcipua, & breuissima capita Christianæ fidei.

58

*Obiectio
tertia.*

Tertio obicitur, si à Christo in vitæ suæ decursu casu aliquo sanguis extraheretur, ut de facto in circumcisione aliquem sanguinem effudit, sanguis illi effusione ipsa, ubi primum à Christi corpore separabatur, amitteret unionem

hypostaticam cum Verbo, quia per separationem iam non censebatur pars illius suppositi, imò (quod plus est) ipsa caro præputij abscissa in circumcisione, eo ipso amisit unionem ad Verbum, cum eadem carnis particula adhuc religiosè asseruetur Romæ in Lateranensi Basilica; ergo eodem modo sanguis, quem Christus emisit in horto, separatione ipsa amisit unionem cum Verbo. quod si de illo id concedas, concedendum etiam videtur de sanguine, flagellis, vel spinis extracto: cur enim magis hic maneret unitus, quam ille? Ac denique si de hoc etiam concedas, non videtur id negandum de sanguine in cruce effuso, cum eadem sit ratio, quando clavis, vel quando flagellis vulneratum corpus sanguinem effundit.

Hoc argumentum instari potest in carne Christi, nam si ante aliquos annos à Christi corpore aliqua carnis particula abscissa foret, non mansisset unita Verbo, ut aduersarij in ipsa obiectione supponunt de præputio; ergo si Christi caro in morte sua paulatim in minutissimas partes facta fuisset, eoque tormenti genere fuisset Christus occisus; nec etiam tunc caro Christi mansisset unita Verbo; cur enim magis mansissent unitæ illæ carnis particulae nunc abscissæ à Christo, quam caro præputij olim abscissa? suppono etenim, particulas etiam has abscindi, viuentem adhuc Christo, atque adeo plures ex iis potuissent manere abscissas, absque eo quod Christi mors sequeretur. Quod ergo ipsi dixerint de carne, & discrimen, quod attulerint inter carnis particulam olim separatam, & illas, quæ paulò ante mortem abscinderentur, hoc ipsum discrimen reddi potest inter sanguinem olim effusum, & illum, qui prope mortem effusus fuit; ut hic potius, quam ille debuerit retinere unionem hypostaticam cum Verbo.

Ratio ergo differentiae desumi potest ex supradictis. Vidimus enim, ius illud, quod proueniebat ratione unionis hypostaticæ, quam habuit tota natura humana in sua prima assumptione, acquisitum fuisse illi humanitati, nimirum ad hoc, ut illa humanitas haberet dignitatem, cultum, beatitudinem, &c. Unde partes quæ auferebantur ab illa humanitate non amplius recuperanda, eo ipso amittebant illud ius, illudque relinquebant partibus successuris; quia sicut ab initio illud ius residebat in tali humanitate, sic remanebat semper non in illis numero partibus materiae, metaphysicè loquendo; sed in illa humanitate; id est in illa, quæ humano modo per successionem augmentationis, & diminutionis continuè esset eadem cum illa humanitate, cui fuerat acquisitum illud ius, & in qua sola debet remanere semper, quantum fieri possit, intrinsicè cum illud ius, & titulus ratione unionis hypostaticæ continuatæ.

Hinc autem fit primò, partes materiae, siue carnis, siue sanguinis, quæ per continuum actionem, & repassationem perdebantur, non debuissent, ut dixi, retinere illam unionem hypostaticam, quia cum in fine vitæ esset humanitas integra cum aliis partibus, cui tunc competebar illud ius: si humanitati debuissent in resurrectione superaddi omnes partes prius amissæ, non esset nec moraliter quidem eadem humanitas resurgens cum ea, quæ mortua fuerat. nam additio tantæ materiae

materia simul facta variaret etiam moraliter illud corpus, & illum sanguinem; quare cum humanitas tempore mortis habuisset ius, ut eadem resurgeret, imò, & ab initio vitæ hoc solum ius habuerit, ut scilicet eadem moraliter perseveret unita, & resurgat post mortem; non debuit remanere illud ius, nec illa unio in partibus prius amissis, sed in iis, quæ naturaliter, & continuò succedebant, hæ enim solum pertinent ad componendam humanitatem illam, quæ communiter dicitur eadem cum præcedenti.

Secundò sequitur, carnem præputij in circumcissione abscissam, si apud nos adhuc conservatur, non mansisse unitam Verbo, non enim erat pars illius humanitatis amplius futura. Et quidem licet corpus Christi gloriosum nunc sit omnino, atque adeo illa etiam in parte integrum; non tamen debuit recuperare illam omnino materiæ partem, quæ fuerat abscissa, quia particula illa, qualis in infante tunc nato erat, non fuisset vllò modo proportionata ad hoc, ut cum aliis partibus, quas tempore mortis in ætate virili habebat, componeret integram partem illam. Si autem ad hoc augenda esset aliqua particula usque ad debitam magnitudinem, iam illa non fuisset eadem moraliter, quæ fuerat abscissa, sed alia propter notabilem illam accessionem, non continuò, sed simul factam; quæ obstat identitati morali eiusdem corporis humani, ut suppono ex philosophia. Non ergo erat necessitas restituendi postea eandem partem materiæ, quæ fuerat abscissa, quæ etiam si restitueretur, non deserviret ad hoc, ut esset idem præputium moraliter cum illo priori. Quod idem fortasse dicendum esset, si in illa infantili ætate abscissus fuisset digitus, hic enim postea Christo resurgenti non debuisset restitui quoad eandem omnino partem materiæ, propter improprietatem, quam haberet digitus ille adeò exiguus cum aliis, sed daretur alius digitus proportionatus. Resurrectio enim corporis gloriosi solum videtur exigere, quod resurgat idem corpus quod mortuum fuerat, idem, inquam, saltem moraliter, cui identitati morali non obstat, quod augeatur ex nova materia, quoad aliquas partes, quæ olim fuerant ab ipso separatæ, & quæ licet nunc restituerentur cum eadem materia omnino, quæ abscissa fuerat, adhuc non essent eadem moraliter propter notabile augmentum, quod debuissent accipere. Aliud fortasse esset, si paulò antè amissus fuisset digitus, vel manum, hæ enim partes restituerentur eadem in resurrectione, cum possent eadem moraliter esse, & hoc modo resurgeret homo magis idem moraliter, quam si ex alia materia restituerentur.

Tertio sequitur, si Christus coactus fuisset mori fama, vel alio modo, quo paulatim consumpta fuisset eius caro, vel notabiliter extenuata; tunc Christo resurgenti restituendam fore non solum carnem, quam habebat in instanti mortis, sed eam etiam, quam antea habebat, saltem quantum opus fuisset, ut illa caro resurgeret non solum integra, sed in ea mensura, & quantitate, quæ deceret ad pulchritudinem, & decorem perfectum, ad quem non esset apta caro extenuata, qualis fuerat in mortis instanti. Similiter, si occisus fuisset per extractionem sanguinis, cuius pars singulis diebus extraheretur; non deberet in resurrectione restitui ille solus sanguis, quem habuisset in illa die, vel hora ultima vitæ suæ, sed totus antea effusus, quantum satis esset ad hoc, ut corpus illud haberet sanguinem sufficientem ad decorem, & perfectionem suam. Quando ergo dicimus, debere corpus Beati, quantum fieri possit, resurgere idem, quod mortuum est, non debet intelligi, quale erat in ipso puncto, vel hora mortis, sed debet computari status perfectus, quem habuit, ut ille etiam status restituatur, quantum cum mensura etiam & magnitudine membrorum, quæ habuit tempore mortis, stare poterit, ita ut nihil perdat perfectionis, quoad magnitudinem, neque etiam quoad decorem, & copiam sanguinis, vel molem carnis requisitam: dixi autem semper, quantum fieri possit, restituendum, quod habuit, quia abstinere nunc ab ea questione, an debeant omnes etiam infantes resurgere in ætate Christi, & virili. Nam si id fieri debet, ratio erit, quia fieri non potest, quod resurgat corpus perfectum in parvitate infantis, quæ videtur esse imperfectio, & debilitas naturæ humane.

Denique hinc sequitur quartò ad rem nostram, sanguinem illum, qui paulò ante mortem effusus est, & restituendus erat postea ad integritatem, & perfectionem debitam illius corporis gloriosi, debuisset retinere unionem hypostaticam cum Verbo: quod idem dicendum fuisset de particula carnis, si fortè nunc flagellis, vel funibus, aut clavis aliqua particula esset auulsa; hæc enim deberet etiam retinere unionem, cum esset restituenda ad integritatem perfectam illius corporis gloriosi. Ratio autem ex dictis est, quia titulus ille intrinsecus semel datus toti humanitati proveniens ex unione Verbi cum tota humanitate ad similem unionem æternam conservandam, debet perseverare, quantum fieri possit; sicut gratia habitualis, quæ est ius intrinsecum ad gloriam, perseverat in anima, ut non solum habeat ius extrinsecum, & morale, ratione gratiæ prius habitæ, sed habeat etiam idem ius intrinsecum, & physicum, ratione eiusdem gratiæ physicè perseverantis. Cum ergo in nostro casu illud ius intrinsecum integrum possit perseverare conservata unione hypostatica in illis partibus etiam separatis, non est, cur non perseveret.

Dices, sufficet quod perseveret unio cum corpore: nam corpus Verbo unitum eo ipso retinet ius intrinsecum ad resurrectionem gloriosam, & per consequens ad recuperandum sanguinem, qui iterum intra corpus Verbo reuiniatur.

Sed contrà, quia corpus habere ius intrinsecum ratione suæ unionis cum Verbo ad resurgendum, & ad recuperandum sanguinem, non est habere ius ad hoc, ut sanguis uniatur cum Verbo. Nam sicut si ab initio unio Verbi facta fuisset cum sola anima, & non cum corpore, anima manens in triduo unita Verbo, haberet quidem ratione unionis ius intrinsecum ad resurrectionem corporis gloriosi, non tamen ut corpus illud uniretur Verbo, ut supra dicebamus; sic etiam si ab initio sola caro, & non sanguis fuisset unita Verbo, caro retinens in triduo unionem cum Verbo haberet quidem ius

64
Consequenter
quartum.

65
Eius.

Excluditur.

X intrin

Card. de Lugo de Incarnat.

intrinsicum ratione vnionis ad resurgendum gloriose, atque adeo ad recuperandum sanguinem; non tamen habet ius intrinsicum ad hoc, vt sanguis vniretur cum Verbo; ergo ad hoc, vt perseveret tale ius intrinsicum adaequatè; oportet, quòd in sanguine perseveret vnio cum Verbo.

66
Alia, euasio.

Dices iterum, abscissa carne præputij in circumcisione non mansit de facto vnio Verbi in illa, & per consequens non mansit in illa parte ius intrinsicum ad vnionem Verbi cum alia parte præputij postea in resurrectione subroganda, sed hoc ius mansit sufficienter in aliis partibus corporis vnitis Verbo, quibus debebatur vnio Verbi cum carne in illa parte postea subroganda; ergo similiter licet sanguis effusus non maneret vnitus Verbo, posset manere in corpore vnito Verbo ius ad vnionem futuram Verbi cum sanguine postea restituendo.

Procluditur.

Respondeo, mansisse quidem in aliis partibus corporis Christi ius ad vnionem Verbi cum parte præputij postea subroganda; non tamen ius physicum omnino intrinsicum, sed partim morale solum, & extrinsecum ratione vnionis Verbi prius factæ cum tota illa humanitate integra. Nam sicut habens gratiam habituales, habet ius intrinsicum ad gloriam, & ad hoc, vt absque culpa mortali illa gratia nunquam auferatur; atque etiam vt si auferatur, restitatur, & postea conferatur gloria; quare dum manet gratia, manet hoc ius physicè, & intrinsicè in homine; si autem auferetur gratia absque culpa, adhuc ille homo ratione gratiæ præteritæ retineret ius non physicè intrinsicum, sed morale, & physicè extrinsecum ad restitutionem gratiæ, & collationem gloriæ. Sic humanitas, cui semel data est vnio hypostatica, habet ius ad eius conseruationem, & ad hoc, vt si auferatur, restitatur: quod quidem ius quandiu durat vnio ipsa, manet physicè intrinsicum in humanitate; si verò tollatur vnio omnino, vel ex parte, non manet physicè omnino, vel ex parte illud ius, sed solum moraliter ratione vnionis præteritæ, & extrinsecè, physicè loquendo. Fatemur ergo, quòd si sanguis effusus non maneret vnitus Verbo, adhuc posset manere ius in corpore, imò & in ipso sanguine ad vnionem futuram cum Verbo, ortum ex vnione prius data toti humanitati; hoc tamen ius non esset physicè intrinsicum hac ex parte, sed morale ex vnione præterita. Diximus autem, sicut gratia habitualis semel data exigit conseruari in homine ius ad gloriam non solum morale, sed physicè intrinsicum; sic vnionem hypostaticam semel collatam humanitati hoc postulare; debuit ergo non relinqui illud ius morale, & quasi extrinsecum, sed ipsum ius intrinsicum physicum cum sanguine, cum id absque inconuenienti fieri poterit, ideo enim sapè diximus, id debere ita fieri, quantum fieri possit absque inconuenienti. Nam in casu obiectionis fatemur, non mansisse ius physicè intrinsicum adaequatè ad vnionem Verbi futuram cum carne præputij postea subroganda, quia nimirum id commodè non poterat fieri, supposita Christi circumcisione: idcirco factis fuit, quòd maneret in aliis partibus illius

humanitatis ius morale ratione vnionis Verbi antea factæ cum tota humanitate integra. nam eo ipso, quòd Verbum fuit semel vnitum cum humanitate integra, acquisitum fuit ius illi humanitati, vt non auferretur illa vnio, vel si auferretur, restitueretur: hoc ergo ius morale saltem manebat adhuc in illa humanitate, vt restitueretur vnio Verbi cum humanitate integra, quod quidem ius morale in rigore sufficit; sed nos diximus, debere etiam conseruari ius, & titulum physicum intrinsicum, quando absque inconuenienti fieri potest, prout fieri potest in sanguine in morte effuso, qui idem restituendus erat, & ideo in ipso conseruata fuit vnio potius, quàm in præputio, vel sanguine antea effuso, si quis fortasse effusus fuit in decursu vitæ.

Quartò principaliter obiicitur, quia vnio hypostatica tandiu solum debebat permanere, 67
re, quandiu illa substantialis natura manebat. Obiectum
cui Verbum fuerat vnitum: sed in triduo sanguis effusus non retinuit eadem formam substantialem sanguinis, quam habuerat in Christi corpore, præsertim cum pulueri mixtus, delicatus, & coagulatus fuerit, quæ sunt argumenta, & iudicia mutationis substantialis; ergo non debuit in ipso permanere vnio hypostatica, cum iam non esset eadem natura, quæ prius fuerat Verbo vnita.

Hoc argumentum eandem videtur habere difficultatem, in corpore Christi, quod licet per mortem amiserit formam substantialem, quam habebat, non tamen perdidit vnionem cum Verbo. Similiter ergo dici potest de sanguine iuxta diuersas sententias Philosophicas. Nam si sanguis prius informabatur anima rationali, fatendum est, sanguinem effusum amisisse illam formam, cæterum sicut corpus manet vnitum adhuc Verbo, sic manet sanguis. Quod rursus potest dupliciter intelligi, iuxta alias duas sententias Philosophorum: nam alij dicunt corpus manere cum sola forma corporeitatis, vel cum formis partialibus, manus, pedis, ossis, & cætera, absque alia forma substantiali noua. Et iuxta hanc sententiam idem dicendum est de sanguine, amisisse quidem formam rationalem, non tamen accepisse aliam nouam, sed retinuisse eandem formam partialem sanguinis, quam habebat prius. Alij verò dicunt, loco animæ subintrasse in materiam corporis formam substantialem cadaueris, & iuxta hos idem dicendum erit de sanguine, si prius animabatur, amisisse animam, & accepisse aliam formam quasi cadaueris sanguinis humani.

Denique iuxta alteram sententiam probabiliorē negantem, sanguinem animari, tunc rursus vel dici potest, sanguinem humanum etiam effusum retinere per aliquod tempus eandem formam substantialem sanguinis, quam habebat in homine; sicut succus viti, qui dicitur sanguis vitæ, videtur eiusdem rationis esse intra, & extra vnam. Et tunc idem dicendum erit de sanguine Christi retinuisse in illo triduo eandem formam substantialem, quo posito, omnino cessat difficultas argumenti. Vel dicent alij, sanguinem, etiam si non animeretur, habere tamen in homine formam quandam sibi proportionatam, quam perdidit eo ipso, quòd homo moria

moriatur, aut sanguis effundatur, & acquirit aliam formam quasi cadauericam sanguinis. Et tunc dici posset, sanguinem etiam Christi effusum amississe illam formam, quam prius habebat, & accepisse illam aliam formam, quasi cadauericam sanguinis. Quem modum dicendi Pater Suarez *secundo tomo in tertiam partem disputatione quadagesima septima, sect. 3. §. sed occurritur*, probabilem dicit, licet ipse probabilius existimet, non amississe priorem formam, sed illam miraculose retinuisse, quia ad veram Christi mortem sufficiebat separatio animæ à corpore; non ergo oportuit corrumpere etiam formam substantialem sanguinis, licet hæc non posset naturaliter extra corpus conservari. Ego tamen supposito illo principio philosophico, magis crederem amissam fuisse illam formam substantialem præcedentem, quia cum sanguis sit vera pars humanitatis, & moriente homine, non solum caro amittat suam formam substantialem, sed etiam sanguis amittat suam, ut supponitur; videtur aliquo modo pertinere ad perfectum, & integrum interitum humanitatis Christi, quod non sola caro mortua fuerit, sed etiam sanguis suo modo interierit, amittendo formam illam quasi vitalem, & recipiendo illam formam quasi cadaueris sibi accommodatam, alioquin non videretur tota humanitas interiisse, sed ex parte. Nec hoc est contra incorruptionem significatam illis verbis Psalmi 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Nam sicut caro dicitur manere incorrupta, interim dum non resoluitur in cineres, vel aliam substantiam, licet maneat sine forma viventi, quam habebat prius; sic sanguis dicitur manere incorruptus, licet amiserit formam quasi vitalem, quam habebat prius, dummodo non resoluitur in aliam substantiam putridam, quæ opponitur incorruptioni.

Ad obiectionem ergo ex dictis respondetur, debitam fuisse illius vnionis conseruationem, non solum quandiu manebat eadem natura, (nam si hoc esset, non debuisset corpus mortuum manere vnitum Verbo dissoluta natura humana,) sed etiam eius partibus, quibus debebatur resurrectio. Cum enim hoc ius ad vnionem conseruandam, & restituendam, acquisitum fuerit humanæ naturæ, debuit, quantum fieri potuit, conseruari non solum ius extrinsecum, & morale ratione vnionis præteritæ, sed intrinsecum adæquatum, & physicum, ut sæpe diximus; quod cum dissoluta humanitate non posset conseruari in ipsa humanitate, debuit saltem conseruari in eius partibus omnibus, quæ iterum debebant coalescere ad eandem humanitatem constituendam. Non ergo attenditur pro conseruanda vnione, an periret eadem forma substantialis in illa parte, sed an conseruatio vnionis in illa parte pertineat ad conseruandum ius physicum humanitatis ad restitutionem eiusdem humanitatis gloriose, & ad perpetuitatem vnionis cum Verbo.

Card. de Lugo de Incarnat.

SECTIO V.

Dua reliqua conclusiones statuuntur.

Itam quarta conclusio: in triduo totus sanguis Christi effusus in eius passione vnitus fuit diuinitati. Hæc est contra septimam sententiam supra relata: & est communis Theologorum cum S. Thoma, qui, ut postea videbimus, addit, nullum prorsus sanguinem Christi in terris remansisse. Sed præciscendo nunc ab hoc puncto, de quo postea dicemus.

Conclusio nostra probari potest primo ad hominem aduersus Collium illius sententiæ defensorem. Ipse enim superius in eodem opere de sanguine Christi lib. 1. disputat. 1. cap. 10. probat, vnionem hypostaticam cum sanguine Christi ex eiusdem sanguinis incorruptibilitate; dicit enim, hoc priuilegium speciale, quod sanguis ille effusus manserit incorruptus, sicut & corpus in sepulchro, non aliunde prouenisse, quam ex immediata vnione cum hypostasi Verbi, quæ illum ab omni corruptione præseruabat. Hinc autem consequenter fit, totum sanguinem mansisse vnitum Verbo. nam pars illa, quæ mansit adhærens terræ, v. g. post resurrectionem, prius erat simul mixta cum sanguine, qui reassumptus fuit à Christo resurgente. Nemo verò dicit, quod ille sanguis, qui simul, & per modum vnus erat iuxta crucem, partim erat incorruptus, partim corruptus, scilicet quoad eam partem, quæ non erat reassumenda, sed remansura adhærens terræ: iam enim dici posset totus ille sanguis aliquo modo coepisse tabescere, si quoad aliquam sui partem corruptus iam erat, & tabidus; ergo si totus ille sanguis mansit in triduo incorruptus, totus debuit retinere vnionem hypostaticam, quæ in sententia illius auctoris fuit ratio adæquata incorruptionis corporis, & sanguinis in triduo.

Secundò, & absolute probari potest conclusio, quia ille sanguis, licet non totus esset resumendus, totus tamen erat continuus, sicut & corpus; non ergo diuisus erat in duas hypostases, nec ibi erant duo supposita diuersa, sed interim, dum non diuidebatur, totus manebat in eadem hypostasi Verbi. Cur enim fieret illa diuisio suppositorum in vno, & eodem sanguine, antequam ab inuicem separarentur illæ partes?

Tertio applicari potest ratio sumpta ex Eucharistia, quia si in illo triduo consecraretur calix, vel relicta essent species vini consecrati in cena, esset proculdubio sub speciebus totus ille sanguis effusus. nam de toto illo verificarentur verba, *hic est sanguis Christi*; neque enim vna pars magis propriè, quam alia esset ipsius sanguis; ergo singule partes haberent vnionem cum Verbo. Nam verba illa Christi, *qui bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo*, vera sunt non solum ratione totius sanguinis, sed etiam ratione singularum partium, ita ut sicut qui manducat quamlibet partem carnis Christi, habet in se Verbum diuinum; sic qui bibit sanguinem ratione cuiuslibet partis sanguinis, habeat in se Verbum diuinum.

X 2

Quartò

70
Conclusio
quarta.

Probatum pri-
mo.
Collius.

71
Probatum se-
cundo.

Probatum ter-
tio ratione
sumpta ex
Eucharistia.